



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

16. A transmutatione sexûs, & autoritate suspectorum, non validum duci
argumentum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

actiua passiuus, & femina rerum applicando, producit, colligere licet, eum etiam hominem, equum, vel lupum producere posse; idem in sole locum habebit, generat hic solo calore suo mures & ranas, nemo tamen dixerit, eum leones, homines, vel aliud animal, cui maior contigit perfectio, solum generare.

XVI.
Supra §. 3.

Sotus in 4. d.
1. q. 5. 2. 8.

Sexus quoque mutationem grauissimorum authorum testimonij nixam non negamus; sed cum hæc sexuum distinctio accidentaria sit duntaxat, homo autem à brutis essentiali perfectione differat, quis tam à vero auersus, aut tam obtusi & pinguis ingenij erit, qui non intelligat, ex femina in marem, aut maris in feminam conuersione, hominis in feram transformationem malè colligi? Certè natura humana æquè sub sexu maris atque mulieris, tanquam sub accidentibus, potest conseruari; siquidem vir & mulier specie non distinguuntur. Quin & alia huius mutationis ratio est, quàm cum homo in felem, murem, lupum mutari dicitur. Nam vt ex viro fiat femina, vel vice versa ex femina vir, quale exemplum etiam Sotus narrat, necesse est, vt ab ipso statim ortu huius rei à natura posita sint fundamenta, vt nonnulli volunt. Alij neque istud quidem requirunt. Sed medicis, quibus omnia munda sunt, hoc relinquo clariùs explicandum. Authoritates contrariæ partis, quibus Bodinus cum suis triumphat, vt non contemno, ita contrarijs autoritatibus refuto. Quanquam hæreticorum non maior esse debeat autoritas, quàm Poëtarum; & aduersarij plerisque in suam sententiam retorto collo pertrahant; quippe complures scripserunt, homines in lupos esse conuersos, non quòd res ita se se habuerit, sed quòd sic se habuisse visa sit. Quanquam etiam nonnullos viros alioqui doctissimos, in rebus à vulgari captu remotioribus in errores lapsos esse, sit manifestum. Multa etiam, quæ pro historijs venduntur, fabulis esse contaminata ambigi non debet. Moyses diuina vi baculum in serpentem vertit, & reuertit. Magi Pharaonis idem fecisse dicuntur? Negant multi Patres eos veros fuisse serpentes; sed celeritate quadam aiunt dæmonis substitutos serpentes, virgasque ex oculis subductas. Et si vel demus,
virgas

Virgas eorum verè fuisse in serpentes versas à malorum omniù machinatore, an idcirco etiam homo poterit in colubrum conuerti? Imperfecta hæc animalia vel ipsa natura ex putri materia gignit; cur naturæ auxilio non faciliùs in his producendis vti potuisset artifex ille, quàm in lupis ex homine faciendis? cùm vel Plinius dicat: *Homines in lupos conuerti, rursusq; restitui sibi, falsum esse confidenter existimare debemus, aut credere omnia, quæ fabulosa tot sæculis esse comperimus.*

Quo pacto autem dæmon mortalibus illudat, vt vel phantasia tales decipiat, aliq; sensus tam externi, quàm interni, concitatis humoribus, & confusis speciebus perturbentur: vel nebula, aut exuuiæ lupinæ alteriusue animalis corpori circumponantur; aut ipse tales spiritus nequam repræsentet, veneficis, qui se in feras transformatos esse censent, sopitis, & ad alia loca translatis: aut veræ bestię supponantur; quales fuisse, aues Diomedæas, & ceruam pro Iphigenia Agamemnonis filia à Græcis ad placandam Dianæ iram mactatam D. Augustinus indicat, & à nobis satis, arbitror, suprâ est explicatum. Et quid vtitatius est, quàm vt Stygius artifex sensibus hominis illudat, oculisq; tenebras offundat, vt res, quas pedibus conterunt, vel omnino aspectum eorum effugiant, vel sub vera & genuina forma non percipiantur? Cùm enim ea, quæ sensibus hauriuntur, potentijs naturaliter virtutē aliquam imprimant, cuius ope sensus elicitur, facilè dæmon huiusmodi virtutem, per medium productam, potest variare; sicut organum ipsum. Sic lingua febricitantis humore cholericò infecta dulcia amara, & mel fel esse iudicat. Sic nauigantes vrbes, colles, siluasq; recedere, seque solos firmiter consistere æstimant. Sic phrenetici mirabilia se putant videre, audire. Cur non idem posset dæmon, quod potest morbus? Consueta res est, vt dæmon visum hominis in errorem ducat. Ducit etiam in errorem intellectū, si cui persuadet, eum in lupum verè verti. Necessè enim esset talem mori, ac ad vitam à diabolo reuocari, quando eum denuo ex lupo hominem faceret. At Theologorum vox est, sola diuina virtute semel lucis huius vsura orbatum in eandem redire posse. Memoria proditum est, Simonis Magi præstigijs,

XVII: